



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. V. De Peccatis alias confessis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

proxima hujus Sacramenti, aut absolutio relate ad subditum putatum. Nam universim verba Bibliorum, ac Conciliorum sumi debent in sensu proprio, nisi detur valida ratio in contrarium; sed nulla est hujusmodi ratio ad dicendum, quod sufficiat dolor putatus, aut subditus putatus; nemo enim id somniavit; imo ex proscripta thesi 57. ab Innoc. XI. constat, quod solus dolor supernaturalis ad hoc Sacramentum spectet: Contra vero datur sufficiens motivum, & auctoritas ad dicendum, quod verus dolor de peccato putato sit satis: ergo probabiliter peccatum putatum est materia remota hujus Sacramenti.

IV. Ex dictis infertur primo juxta rigidam illam sententiam non satisfieri præcepto confessionis annuæ per confessionem solius peccati putati, atque adeo, qui postquam deprehendit peccatum fuisse putatum, incidere infra annum in aliquid mortale, teneretur eo anno iterum confiteri, ut præcepto satisfaceret. Verum quia sententia nostra est etiam probabilis, & ut supra diximus, abunde satisficit præceptis juxta opinionem probabilem, idcirco absolute, & præctice loquendo per hujusmodi confessionem præcepto Ecclesiæ satisfaceret; quamvis speculative loquendo juxta præfatam sententiam non satisficeret.

Infertur secundo, quod dictum est de peccato putato, dicendum etiam fore de peccato dubio, si vere non est commissum. Nam peccatum, quod clavibus subiectum est ut dubium, si vere non est commissum, est solum peccatum putatum.

Infertur tertio, quod, qui confitetur peccata dubia, debeat pariter aliquid veniale certum addere, non solum ut juxta praxim Ecclesiæ absolutio detur quoad ejus fieri potest absoluta, & non conditionata (sicut dari deberet, si quis tantum peccata

dubia confiteretur), sed etiam ne privetur gratia Sacramentali, quæ juxta sententiam rigidam non conferretur, si peccatum confessum ut dubium vere non esset commissum. Et quamvis sententia nostra sit valde probabilis speculative, tamen quia forte non est vera, ideo ne exponatur Sacramentum periculo frustrationis, expedit semper peccatum aliquod certum dubiis superaddere.

V. Dubium est, Utrum hoc cadat sub consilium tantum, an sub obligationem gravem? Martinus Perez tenet cadere tantum sub consilium; præsertim si difficultatem experiatur pœnitens exponendi materiam aliquam certam. Censeo tamen cadere sub obligationem gravem, ne exponatur periculo frustrationis Sacramentum juxta ea, quæ passim Doctores docent in expolitione primæ propositionis proscriptæ ab Innoc. XI. Quod si peccatum certo sit commissum, & dubium solum sit, num fuerit mortale, an veniale, tunc talis obligatio non datur, ut patet, cum non exponatur Sacramentum periculo frustrationis.

ARTICULUS V.

De Peccatis alias confessis.

- I. Videntur peccata rite confessæ, & absoluta non esse amplius materia sufficiens Confessionis.
- II. Sed communissime oppositum docent.
- III. Quomodo forma absolutoria in hoc casu non sit falsa?
- IV. Num possint peccata isthac esse materia necessaria, vel ex voto Pœnitentis, vel ex statuto Superioris?
- V. Num possit Ecclesia præcipere Confessionem de venialibus?
- VI. Quandonam Pœnitens teneatur respondere, si a confessario interrogetur de peccatis alias confessis?
- VII. Utrum possit reticere aliqua peccata.

peccata alias confessa, qui dicit confessorio velle generalem confessionem instituere?

VIII. *Utrum in generali confessione explicari debeant, quanam sint moralia post ultimam confessionem commissa?*

I. **O**lim fuit visum nonnullis apud Martinum Perez, peccata semel confessa, & absoluta non esse amplius materiam sufficientem Confessionis: Primo quia forma nova Sacramentalis repeti non potest supra eandem materiam: quis enim iterum consecret hostiam jam consecratam? Hoc autem praesertim repugnat in forma absolutionis, quae supponere debet hominem ligatum; cum solus ligatus absolvatur. Secundo, quia, si non potest Sacerdos peccata confessa, & absoluta retinere, nec potest absolvere: Tertio, quia sententia absolutoria est definitiva, post quam non datur alia.

II. Communissima tamen sententia docet oppositum; idque decrevit Benedictus II. in Extravag. 1. de privilegiis. Et ratio est, quia unusquisque potest in eadem causa saepius judicari, si ipse velit. Secundo, quia potest eadem injuria iterum, iterumque remitti; ergo bene potest saepius absolvi poenitens ab eodem peccato. Et confirmatur a pari; quia sicut renovamus votum paupertatis renunciando, quae jam non possidemus, non solum per approbationem praeterita renunciationis, sed etiam renovando obligationem, quam jam contraximus: ita potest pariter renovari remissio injuria jam deleta.

Ad primam rationem in contrarium respondent, stante eadem materia remota, repeti posse formam Sacramentalem supra novam materiam proximam; sicut si iterum fiat ablutio, per eandem aquam potest alius baptizari: ergo si repetatur dolor novus supra

idem peccatum, poterit iterum absolutio conferri. Ex quo patet disparitas circa Eucharistiam, in qua species Sacramentales non sunt materia remota, sed proxima: unde consecratio non caderet supra eandem materiam remotam, sed proximam.

III. Ad id, quod additur, falsum est, quod forma absolutoria supponat hominem ligatum; aliter conferri non posset absolutio accedenti ad Sacramentum cum contritione: Quare sensus illorum verborum, *Absolve te*, est hujusmodi, scilicet, *Confero tibi gratiam absolutivam, quae te solvat, si es ligatus, vel solveret, si esses ligatus: Vel sensus est, Remitto tibi omnes injurias, & offensas Dei: Nam, ut diximus, sicut possunt renovari vota, ita & condonationes.*

Ad secundum: Peccata remissa, quamvis non possint a confessario retineri, possunt tamen iterum remitti, quia quando sunt jam remissa, non ex necessitate, sed ad arbitrium poenitentis, potest de iis novum iudicium efformari, per quod iterum conferatur sententia absolutoria, qua detur nova gratia, quae sit remissiva peccati tantum in actu primo, non in actu secundo. Eo prorsus modo, quo datur absolutio, & confertur gratia remissiva accedenti ad Sacramentum cum contritione. Quare ea solum peccata remitti, & retineri simul possunt, quae ex necessitate, non ad arbitrium, subjiciuntur clavibus.

Ad tertium: Sententia definitiva non potest revocari in dubium; sed potest approbari, & repeti reo poenitente.

IV. Quæritur hic primo, an peccatum rite confessum, & absolutum possit esse materia necessaria confessionis, vel ex voto poenitentis; vel ex statuto, cui se Poenitens voluntarie subjecit, vel ex poenitentia injuncta a Confessario.

Re-

Respondeo cum Suarez disp. 27. sect. 7. & Fagund. quod licet peccatum alias confessum, & rite absolutum ex institutione Christi Domini non sit per se loquendo materia necessaria Confessionis, poterit tamen esse necessaria, tum ex voto pœnitentis; quia quod est materia consilii, potest esse materia voti; tum ratione statuti, cui quis voluntarie se subiecit, ut cum quis voluntarie assumit statum religionis sub conditione faciendi singulis annis generalem confessionem illius anni (ut in Cisterciensi religione statutum esse ferunt) Hæc enim confert ad perfectionem, & ad observantiam regularem.

Negō tamen cum Suar. loc. citato, posse absoluto præcepto a Superiore, vel a Confessario imponi obligationem iterum confitendi eadem peccata; Tum quia est res valde difficilis, & illa causa est jam terminata, & nullus videtur esse finis, nulla necessitas, propter quam expediat tale præceptum, aut talem pœnitentiam injungere; Tum etiam, quia hæc est propria materia consilii, & ideo per se non cadit sub præceptum humanum.

V. Disputant etiam celeberrimi Doctores, An possit Ecclesia præcipere confessionem de venialibus, saltem de aliquibus? Nonnulli affirmant cum Valq., Suar., Lug., Laym. Nonnulli vero negant cum Leandro, Pal., & aliis: quia non potest Ecclesia instituere diversum forum pœnitentiæ ab eo, quod Christus Dominus instituit; Cum ergo Christus Dominus tantum obligarit ad mortalia confitenda, non potest Ecclesia præcipere confessionem venialium.

VI. Quæritur secundo, An pœnitens interrogatus a confessario de peccato rite confessō, & absoluto, teneatur respondere?

Respondeo, teneri, quando notitia

Pars VI.

illius peccati necessaria est Confessario ad pœnitentem in posterum dirigendum: posita enim hac necessitate, habet Confessarius jus ad interrogandum, & consequenter habet pœnitens obligationem ad respondendum. Unde Innoc. XI. damnavit propositionem illam quinquagesimam octavam, quæ dicebat, non teneri pœnitentem respondere Confessario interroganti consuetudinem peccati. Quando autem talis notitia non est necessaria, dico cum Suar. disp. 22. sect. 1., & Granad., posse pœnitentem absque ullo peccato etiam veniali uti æquivocatione, & non aperire veritatem confessario. Et ratio est, quia quando iudex non interrogat iuridice, non mentitur, qui negat factum, quod vere fecit; etenim non censetur simpliciter negare, quod fecerit, sed negare quod fecerit ita, ut teneatur in illo foro illud revelare, quæ non est restrictio mentalis jam damnata ab Innoc. XI. in thesibus vigesima sexta, & vigesima septima, sed est æquivocatio, seu restrictio non pure mentalis, ut diximus in expositione illarum thesium proscriptarum: Quando enim iudex non habet jus interrogandi, nec pœnitens habet obligationem ad ejus mentem respondendi. Idem dicas de eo, qui existimans, juxta probabilem opinionem, circumstantias aggravantes non esse explicandas, confitetur peccatum furti, dicendo, furatus sum rem gravem, & deinde interrogatur a Confessario de quantitate furti; tunc enim tenetur respondere, quando (ut plerumque accidit) hujusmodi notitia necessaria est confessario ad iudicium rite formandum, & ad medicinam applicandam, aliter non teneretur. In dubio tamen num talis notitia sit necessaria, ut Confessarius & qua Iudex rite sententiam ferat, & qua Medicus rite medeatur, standum pro iudicio

E con-

confessarii interrogantis, & consequenter datur obligatio respondendi.

VII. Quæritur tertio, an qui dicit confessario, se velle generaliter confiteri, teneatur omnia mortalia vitæ præteritæ alias absoluta revelare?

Respondeo, Victor., & Ledesm. putare, quod teneatur; quia aliter deciperet in re gravi confessarium, qui si tantum audiret ejus peccata levia, judicaret, eum caste, & pie vixisse; unde non posset rite ejus conscientiam dirigere. At Henr., Suar. Lug., &c. putant, hujusmodi pœnitentem mentiri leviter, & non peccare graviter; quia mendacium illud non est contra Sacramentum pœnitentiæ; cum nihil omittat, quod sit simpliciter de necessitate Sacramenti: nec ulli est graviter perniciosum; cum non teneatur pœnitens ad confessionem generalem, per quam dirigatur a confessario.

Hinc sequitur, ut bene notat de Lugo, neque peccare graviter eum, qui habens duos confessarios, uni prius revelat solum mortalia, alteri deinde tantum venialia, dicendo ea solum perpetrasse: imo si hoc mendacium non superaddat, per se loquendo, ne venialiter quidem peccabit; quia velle conservare bonam famam apud Confessarium ordinarium, non est hypocrisis: nec videtur saltem gravis inordinatio, præsertim in fœminis religiosis, ut docent Villalob., Henr., & alii, quos refert, & sequitur Dian. part. 2. tract. 4. resol. 86. Dixi tamen, per se loquendo; nam per accidens, si scilicet hoc esset causa relabendi sæpius in eadem mortalia, ut sæpe fit, hoc esset mortale: uti etiam si quis confiteatur peccata gravia confessario, qui parum illa ponderat, nec pœnitentem objurgat, sed levem pœnitentiam imponit: Et idem dicas, si quis semper diversis Confessoribus utatur; unde non pos-

sit per remedium Confessionis facile emendari; timendum enim est, quod hic careat sufficienti dolore de peccatis.

VIII. Quæritur ultimo, an qui facit confessionem generalem, teneatur explicare, quænam sint peccata mortalia commissa post ultimam confessionem?

Respondeo, de Lugo disp. 16. sect. 2. cum aliis putare, quod non teneatur; quia idem est omnino peccatum, quod confitetur, sive ante, sive post ultimam confessionem sit commissum; nisi forte mutatio temporis afferat seculum circumstantiam specie diversam; ut si conjugatus confiteatur peccatum contra castitatem commissum ante conjugium; nisi enim explicetur tempus, facile confessarius apprehendet speciem adulterii.

Verum Martinus Perez docet, illum teneri explicare mortalia post ultimam confessionem commissa; quia notabiliter variatur judicium confessarii, si sciatur circumstantia temporis, tum in cognoscenda dispositione pœnitentis, tum in applicanda medicina salutari, tum in imponenda prudenti pœnitentia, quæ minor debet esse de peccatis alias confessis, quam de non confessis. Quibus adde, eum, qui vult hoc pacto celare confessario consuetudinem peccati, nec vult ab eo dirigi, facile carere sufficienti dolore.

Utraque sententia, speculative loquendo, est probabilis; sed præctice videtur sequenda sententia Patris Perez; præsertim quia si quis confiteatur præsens peccatum ut antiquum, non confitetur peccatum præsens, quod fecit, sed aliud, quod non fecit: unde sacrilegam videtur facere confessionem.